



# TRACTATUS XIII. DE GRATIA DEI.



**I**RACTATUS iste inter præcipuos Theologicos non mediocrem locum tenet, cum eius obiectum seu materia plures alios superet in nobilitate, & vilitate, & fortè omnes in difficultate. De gratia Dei agit D. Thom. à quæst. 109. vsque ad 114. inclusive, in qua hanc primam secundæ complet, & absolvit. Circa eam quinque considerat, videlicet necessitatem, essentiam, divisionem, illius causam, & effectus, pro quibus sex instituit quæstiones. Nos verò, ipsa divina gratia adiuti, in hoc tractatu solum circa necessitatem, essentiam, divisionem, illiusque causam controversias communes excitabimus per tres disputationes. Effectus enim illius, qui sunt iustificatio impij, & meritum iusti, exigunt ad sui considerationem specialem tractatum.

## DISPUT. I.

*De necessitate Gratiæ.*

**Q**uia quæstio an est ceteras alias quæstiones ordine doctrinæ præcedit, & quia cuncta, quæ circa existentiam divinæ gratiæ dicenda sunt, ex necessitate illius pendent, cum Deus in necessarijs non deficiat; propterea de necessitate illius primo loco agendum est, prætermisissis pluribus quæ ad varios errores illi contrarios recensendos, & ad magnam D. August. & D. Thom. auctoritatem circa hunc tractatum præmittuntur, quæ non sine delectatione, & fructu possunt videri in NN. Saln. in præf. disp. 1. proemiali. Dupl. dicitur aliquid necessarium alteri: vel absolute, vt cum connequitur necessario cum illo, & hoc modo proprietates sunt essentia necessaria. Vel respectivè, hoc est in ordine ad alicuius finem, vel effectus consecutionem, vt lumen gloriæ est necessarium ad videndum Deum: Et in hoc sensu accipienda est necessitas in hoc tractatu. Opera autem, ad quæ necessaria videtur gratia, sunt in duplici differentia: alia sunt absolute ordinis naturalis, quæ licet non excedant totam naturam creatam, aut creabilem, possunt tamen communes vires humanæ naturæ superare. Alia verò sunt, quæ positive sunt ordinis supernaturalis, & supra omnem naturam creatam, & creabilem. De operibus vtriusque ordinis procedit hæc disputation.

## DUBIUM I.

*An homo indigeat gratia ad naturales veritates cognoscendas?*

**D**ifficile possumus hanc disputationem finire feliciter, nisi in limine illius declaremus varios status naturæ humanæ, in quibus collocata est, aut collocari potuit. Quorum notitiæ §. proxime sequenti libenter incumbimus.

### §. I.

*De varijs naturæ humane statibus.*

**S**tatus, vt colligitur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 183. est dispositio homini conveniens cum immobilitate, & firmitate. Sic in actionibus humanis negotium dicitur statum habere, quando aliquam fortitur consistentia firmitatem, & cum negotium præcipuum naturæ humanæ, de qua nobis est sermo, sic se habere in ordine ad vicinum finem (quandoquidem ipsa est ex se ad finem ordinabilis) iuxta diversum modum se habendi permanenter ad suum finem diversificatur eius status. Finis naturæ rationalis est duplex, naturalis, & supernaturalis, de quibus differimus tract. de Beatitudine, & respectu vtriusque diversimode se habere potest, dum est in via. Quo sensu procedit divisio.

Primus igitur status est naturæ puræ, qui in

## Dub. I. An homo indigeat gratia ad naturales veritates cognoscendas? 165

in eo consistit, quod conderetur à Deo non tribuente ei nisi sua naturalia, materiam scilicet, & formam, reliquaque proprietates naturaliter exactas, nec adderetur ipsi aliquid donum gratuitum naturale, vel supernaturale. Homo in tali statu creatus (vt creari potuit) eo diceretur, & esset in puris, quia non solum deesset illi peccati macula, verum quia nullo ornaretur dono gratiæ. Ex quo vterius fieret, quod cum gratia sic principium elevandi hominem ad finem supernaturalem, & nec adesset, nec voluntarie deesset, solum haberet pro fine Deum vt Authorem naturalem.

Existimat tamen Contenton tom. 5. disert. 1. cap. 1. hominem sic constitutum nullam fore experturum rebellionem carnis. Quam opinionem propugnat ex D. Thom. in hac 1. 2. quæst. 82. art. 3. ad 1. vbi ait: *In homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione: intantum concupiscere est homini naturale, inquantum est secundum rationem: concupiscentia autem, qua transcendit limites rationis, inest homini contra naturam.* Ex quo testimonio, & pluribus alijs D. August. ibi, & tom. 4. disert. 3. in quarto effectu peccati relatis, arguit in hunc modum:

Rebellio, & concupiscentia adveniunt homini ex peccato, alijs Deus, qui vnice naturam eius condidit, esset author illarum, quod implicat; sed homo creatus in puris naturalibus nullum haberet peccatum: ergo nec experiretur concupiscentiam, & carnis rebellionem.

Sed certè prædictus Author non animadvertit, D. Thom. in hac quæst. 109. art. 4. in corp. docere, ad servanda omnia præcepta naturalia adhuc secundum substantiam operis necessariam esse integritatem naturæ; constat autem, quod status naturæ integræ est distinctus à statu naturæ puræ, vt infra explicabitur: ergo confundit hos duos status attribuens vni, quod est proprium alterius. *Maximè*: Quia si homo in natura sibi relicta nullam rebellionem concupiscibilis experiretur adversus partem superiorem, nulla realitas in concupiscibile diffusa foret necessaria, vt in statu iustitiæ originalis concupiscibilis rationali subijceretur; sed oppositum docet D. Thom. opusc. 2. cap. 186. ergo signum est, quod homo sibi relicto aliquam rebellionem carnis sustineret.

Nec ea, quæ pro se adducit Contenton, aliquid convincunt. Nam auctoritas D. Thom. intelligenda est de concupiscentia, prout directe tendit ad bonum sensibile & delectabile contra, vel præter ordinem rationis, quo pacto est effectus peccati originalis. Ad concupiscentia secundum se à malo præscindit, & sub hac præcisione convenit naturæ humanæ in omni statu, exceptis iustitiæ originalis, & naturæ integræ. Unde ex eo, quod natura pura peccatum non

habeat, non sequitur aliquam rebellionem non passuram, quæ satis salvaretur per hoc, quod appeteret quandoque bonum sensibile, quod foret rationi contrariari. Quod autem Deus esset causa illius naturæ, non infert ipsum causaturum malum: quia solum produceret naturam, vt tendentem in fines sibi accommodatos; quod autem hoc esset contra rationem, proveniret ex sua naturali defectibilitate, vt dici solet de potentia peccandi.

3. Status naturæ integræ, qui metas ordinis naturalis, vt contraponitur supernaturali, non transcederet, tunc daretur, si conderetur homo, non in nuditate præcedentis, sed illam Deum ornaret donis & perfectionibus naturalibus (indebitis tamen) robotantibus tam intellectum, quam voluntatem, ceterasque hominis potentias, vt subijcerentur rationi, taliter quod si aliquando motus contra illam insurgerent facile compescerentur, facilèque homo infirmitatibus resisteret ad eum proportionalem modum quo de corporibus beatorum statuiamus in tract. de Beatit. licet non ita perfectè. Diceretur huiusmodi status naturæ integræ: quia status supra descriptus quasi tolleretur mediantibus prædictis qualitatibus naturalibus, quas, quia ex nullo capite repugnant, admittunt communiter Theologi asserentes constituere statum naturæ integræ.

4. Contenton hanc descriptionem putat esse diminutam: quia iudicat, hominem in eo statu gaudere non solum concordia carnis cum spiritu, sed etiam vi intrinseca ad expugnandam quamlibet alterationem sive intrinsecam, sive ab extrinseco adventientem, ac proinde nulli corporali corruptioni subditum fore. Et addit se credere, quod homo habiturus est in eo omnes scientias naturales; & morales virtutes peraccidens infusas.

Sed huic positioni ex parte assentimur, & ex parte refragamur. Convenimus enim cum eo dicente, hominem ornandum fore virtutibus, & scientijs naturalibus peraccidens infusis: quia licet sciamus esse quid perfectius eas habere per acquisitionem, quam per infusionem, & propterea ostendemus cum D. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 2. & præcipue quæst. 9. art. 4. in Christo non fuisse infusas, sed proprijs actibus acquisitas; hoc erat, quia independenter ab illis erat virtuosus per virtutes supernaturales, & quamvis illis careret, non poterat prolabi in aliquem defectum. At homo in statu integro conditus nullam aliud principium haberet, quo rectificaretur, immo ipse virtutes, & scientiæ naturales fortè statum constituerent saltem secundum gradum heroicum, quo pacto essent indebitæ naturæ: ergo non est principium ad denegandum earum infusionem.

Sed non probamus eam partem, qua docet, omnimodam impassibilitatem & inalterationem constituere statum naturæ integræ  
Tum.

Tum quia qualitates, à quibus similes effectus homini proveniunt, sunt dotes corporis gloriosi à beatitudine animæ dimanantes, atque ideo sunt supernaturales vel entitative; vel quoad modum, ut suo loco explicavimus; sed nulla qualitas supernaturalis adhuc quoad modum convenire potest statui naturæ integræ, aliis non esset purè naturalis: ergo. ¶ Tum etiã, & urgentius: Nam status naturæ integræ nihil specialius ex aliquo capite habere potest, quod defecto non habuit status iustitiæ originalis; sed homo in iustitiâ originali conditus taliter fuit impassibilis, quòd si à corpore duro premeretur pateret alterationem, quapropter erat necessaria protectio Dei extrinseca, ut plura ei non nocerent, ut tradit D. Thom. 1. part. quest. 92. art. 2. ad 4. ergo perperam attribuitur homini in statu naturæ integræ absoluta & omnimoda impassibilitas & inalteratio. Hos duos status nunquam defecto sortita est natura humana, licet potuerit in eis à Deo collocari.

Ex statibus, in quibus homo constitutus est, primus est status *iustitiæ originalis*, qui importat: primario gratiam habituales eiusdem speciei cum nostra, cum aliquo tamen modo speciali superaddito, ratione cuius dimanabant quædam realitates in inferiora, ut menti, & parti superiori essent subiecta. De quo plura diximus tract. præc. disp. 2. per totam, maxime à num. 104. usque ad finem dubij. Secundus est status *naturæ lapsæ*, quem eleganter descripsit, sicut & præcedentem D. Thom. opusc. 2. cap. 192. per hoc, quòd homo manserit destitutus gratia habituali cum omnibus virtutibus, & donis ex ea oris, vel cum ea communicatis. Unde homo in hoc statu solum distingueretur à seipso, si conderetur in puris, sicut nudus, & nudatus: cum hoc tamen discrimine, quòd in homine lapsò minuta mansit inclinatio ad bonum morale ratione peccati, secus verò in homine puro.

Tertius, & vltimus est status *naturæ reparatæ* per Christum, qui in eo consistit, quòd propter merita tanti Mediatoris conferatur gratia homini affecto privationibus iustitiæ originalis secundum omnes suas perfectiones. Sanè reparatio per Christum maior est, quam fuit Adam casus, cum homines pluribus cumulenter donis per illam, quam haberent ex vi iustitiæ originalis, licet non complectur perfectè in omnibus individuis, nec in hac vita, sed expectat futuram. Obiectiones fieri solitas optime diluunt NN. Salmant. in hoc tract. disp. 1. à num. 34. vbi videri poterunt. Quibus scitis:

Hoc dubium primum inquit, an homo in natura pura, aut lapsa indigeat gratia naturali, aut supernaturali ad percipiendas omnes veritates naturales speculativas divise, aut

collective sumptas? Nominè autem *veritates naturales* solum eas intelligimus, quæ continentur in principijs naturalibus persè notis, & ex sensibilibus ministerio sensuum deduci valent. Circa quod tres sunt sententiæ, duæ extremae, & alia media. Prima extrema docet, hominem non posse cognoscere aliquam veritatem sine superaddita gratia. Ita Vazquez in præf. disp. 188. cap. 2. & 3. Secunda extrema tenet, posse absque speciali gratia omnes veritates collective acceptas sine errore attingere. Pro qua referuntur Durandus 2. dist. 18. quest. 1. Calet. in hoc tract. & 2. 2. quest. 2. art. 1. & 1. part. quest. 1. art. 1. & Valentia in præf. Tertia media defendit, posse absque speciali gratia omnes veritates divise acquirere, secus verò collective. Ita Div. Thom. in hac quest. 109. art. 1. aliisque in locis infra referendis, vbi NN. Salmant. & plures, & gravissimi Theologi tam intrã, quam extra Scholam Div. Thom. ab eis relatis.

## §. II.

Sententia D. Thom. duplici assertione propugnata.

**D**icendum est primò, hominem lapsum, ac proinde in statu naturæ puræ posse cognoscere absque speciali gratia singulas veritates naturales speculativas. Et probatur auctoritate, simul & ratione D. Thom. in præf. art. 1. vbi ait: *Intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quadam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire.* Ex quibus eruitur ratio fundamentalis nostræ assertionis: Nam nulla potentia indiget speciali gratia ad attingendum suum obiectum proportionatum; sed veritas, de qua est sermo, est obiectum proportionatum intellectus humani: ergo homo in natura lapsa non indiget speciali gratia ad attingendas veritates contentas in primis principijs naturalibus persè notis, & ex sensibilibus deducibiles. Maior constat tum inductive: tum quia gratia solum requiritur ad obiectum improporionatum, ut reddat proportionatum potentia per eam elevatã. Minor verò probatur: nam illud est obiectum proportionatum intellectus pro hoc statu, cuius species potest deduci ministerio sensuum, & influxu intellectus agentis, vel possibilibus; sed veritas, de qua est sermo, est huiusmodi, quia eius species potest produci ab intellectu possibilibus, maxime in his qui propter suam bonam complexionem, & rectam dispositionem excellenti ingenio pollent: ergo est obiectum proportionatum intellectus nostri.

Et confirmatur. Nam homo non indiget auxi-

auxilio gratia ad cognoscendas veritates naturales ex Deo deducibiles, ut esse vnum, æternum, intellectualem &c. ergo neque ad omnes alias veritates naturales sigillatim acceptas. Antecedens probatur tum ex Script. nam ad Rom. 1. dicitur: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & divinitas.* Et Sap. 13. *A magnitudine speciei, & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Ex quibus communitè PP. docent, hominem naturaliter posse devenire in cognitionem Dei, & allarum perfectionum, quæ Dei ut vnus sunt propriæ. Tum etiã: nam esse Dei, vnitas illius, æternitas, immensitas &c. per evidentem demonstrationem ex sensibilibus deduci valent, & sic has veritates ex solis viribus naturæ demonstravit Arist. 8. Physic. & eas per naturalem demonstrationem suadet Div. Thom. 1. part. à quest. 2. ergo non est necessarium auxilium aliquid gratuitum ad eas sigillatim cognoscendas. Tum denique: nam si opus esset auxilio gratuito ad cognoscendas has veritates, homo in statu naturæ puræ non posset eas cognoscere, ac proinde in illo statu haberet ignorantiam invincibilem Dei; hoc est falsum, aliàs homo in illo statu non teneretur cum colere, & amare, nec peccaret colendo aliquod idolum: ergo idem quod prius.

7 Respondet Vazquez, ex his tantum deduci hominem habere potentiam physicam ad cognoscendas prædictas veritates sigillatim acceptas, secus verò potentiam moralem: quia est indifferens ad cognoscendam hanc, vel illam veritatem, & ab intrinseco defectibilis: & quia possunt occurrere plura impedimenta ad quamlibet veritatem capefendam. Et his de causis indiget aliquo dono gratuito, non collato ex meritis Christi, quia Christus non mortuus est, ut rectam haberemus notitiam veritatis speculativæ.

Sed hæc evasio ex nullo capite subsistit. Non ex capite indifferentiæ. Nam stat, quòd intellectus sit indifferens ad hanc, vel illam veritatem cognoscendam, & quòd ex imperio, & inclinatione voluntatis determinetur ad capefendam notitiam huius veritatis potius, quam alterius; sed nulla est veritas contenta in principijs naturalibus persè notis, & ex sensibilibus deducibilibus, ad quam intellectus semel determinatus ex solis viribus naturæ non possit pertinere: ergo ex capite indifferentiæ non sequitur, ut indigeat homo auxilio gratuito ad aliquam veritatem cognoscendam. Minor probatur: nam nulla est veritas ex prædictis, quæ non contineatur intra obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu, ut aperte supponit Vazquez concedens potentiam physicam ad quamlibet illarum: ergo nulla est ex illis,

ad quam intellectus determinatus ex imperio, & inclinatione voluntatis non possit ex proprijs viribus pertinere. Patet consequentia: aliàs ex proprijs viribus ad nullam posset pertinere, cum omnes, vel nulla contineantur intra obiectum proportionatum nostri intellectus, & non sit maior ratio de vna, quam de alia.

Nec ex capite defectibilitatis intrinsecæ. Nam quòd intellectus noiter dicat ordinem defectibilem ad verum, non tollit, quòd dicat maiorem inclinationem ad verum, quam ad falsum; sed Deus denegans suum concursum ad cognitionem alicuius veritatis agit ut Author vniversalis, & iuxta providentiam naturalem attemperatam cum natura defectibili: ergo etiã agit iuxta prædictam providentiam, dum concedit suum concursum ad cognitionem cuiuslibet veritatis sigillatim acceptæ. Maior constat: nam non obitante, quòd natura defectibilis dicat ordinem defectibilem ad suum esse, non tollit, quòd maiorem inclinationem dicat ad esse, quam ad non esse. Minor etiam eodem exemplo liquet: nam Deus præstans, homo in statu naturæ puræ non posset eas cognoscere, ac proinde in illo statu haberet ignorantiam invincibilem Dei; hoc est falsum, aliàs homo in illo statu non teneretur cum colere, & amare, nec peccaret colendo aliquod idolum: ergo idem quod prius.

8 Nec ex capite impedimentorum. Nam hæc impedimenta sunt brevitatis vitæ, somnus necessarius, distractio ad plures res vitæ humanæ necessarias, passiones appetitus, gravitas corporis, & alia huiusmodi; sed omnia hæc nullam improporionem moralem causant ad quamlibet veritatem seorsim acceptam ex prædictis, licet illam causent ad totam huiusmodi veritatum collectionem, ut assertione sequenti videbimus: ergo nec ex capite impedimentorum deducitur impotentia moralis in intellectu ad quamlibet veritatem ex prædictis à proprijs viribus capefendam. Minor probatur: nam omnia illa non causant improporionem ad aliquam ex huiusmodi veritatibus; aliàs nullam adhuc facillimam posset cognoscere sine auxilio gratuito: ergo ad nullam. Patet consequentia: tum quia omnes conveniunt in eo, quòd sint proportionate potentia physica, ut concedit Vazquez. Tum etiã: quia solum sequitur,

tur, ad aliam difficiliorem praequiri tempus magis longum; sed non est, cur non sufficiat naturalis nostrae vitae periodus: ergo.

Nec id, quod addit nempe gratiam praequiri ad veritatum huiusmodi cognitionem non esse ex meritis Christi, verum tenet. Quia plura sunt, quae procedunt ex meritis Christi, pro quibus proprie non dicitur mortuus: nam aliqua gaudia accidentaliter adveniunt Angelis ex meritis Christi; & tamen Christus non est mortuus pro illis. *Adde*: Quia cognitio plurimum veritatum naturalium adhuc speculativa conducit ad rectificandum appetitum, ut cognitio peccati, virtutis, iuris &c. constat autem gratiam tendentem ad rectificandum appetitum esse ex meritis Christi: ergo falsum est, quod, supposita necessitate gratiae, non sit ex meritis Christi.

9 Dicendum est secundo, in homine lapsus esse necessariam aliquam gratiam specialem ad totam huiusmodi veritatum collectionem cognoscendam. Et probatur primo ratione D. Thom. locis infra referendis: Nam homo lapsus caret potentia morali ad cognoscendas omnes huiusmodi veritates collectivae: ergo indiget speciali gratia ad illarum cognitionem. Consequentia est legitima: quia gratia specialis non solum desideratur, quando deest potentia physica, sed etiam quando non adest potentia moralis, ut satis constabit ex decursu huius dispensationis. Antecedens vero probatur primo: nam, ut inquit D. Thom. 4. Contra gent. cap. 52. *Inter spirituales potissima est debilitas rationis (sermo est de poenis seu effectibus peccati originalis) ex qua contingit, quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem: & appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis.* Si ergo homo lapsus difficultatem habet ad cuiuslibet veri cognitionem, habere debet impotentiam saltem moralem ad verum naturale collectivae sumptum. *Secundo*: Nam causa ab intrinseco defectibilis nequit non habere impotentiam saltem moralem ad omnes suas operationes collectivae sumptas: quia necesse est, ut, attenta providentia Dei ordinaria, in aliqua deficiat; sed intellectus est ab intrinseco defectibilis circa attingentiam veri naturalis: ergo habet impotentiam moralem ad cognoscendas omnes veritates naturales collectivae sumptas. *Tertio*: Nam experientia constat, quod nullus hominum ex propriis viribus naturalibus notitiam omnium huiusmodi veritatum comparaverit, quinimo nullus est, qui non multa ignoraverit, & in varios errores prolapsus fuerit, nisi Deus speciali gratia cum instruerit, ut de Adamo tradit D. Thom. 1. part. quest. 94. art. 3. & de Salomone multi docent: ergo signum est, quod homo caret potentia

morali ad cognitionem illarum. *Quarto*, & *ultimo*: Nam ad omnes veritates collectivae sumptas cognoscendas occurrunt plura impedimenta (ut sunt, quae supra retulimus, & alia) quae sine speciali gratia vinci non possunt; & nisi auferantur, nequit homo ad cognitionem illarum pervenire: ergo idem quod prius.

Quae ratio cum aliquibus suis probationibus aequè urget in homine in statu naturae purae, ut ex se liquet. Aliter verò dicendum est de homine condito in statu iustitiae originalis, aut naturae integre, quia hic cum auxilijs communibus praedictis statibus proculdubio potest notitiam huiusmodi veritatum collectivae comparare. Etiam constat quid dicendum sit de vero practico: nam vel hoc sumitur etiam speculative, & prout sic idem tenendum est de illo, ac de vero purè speculativo: vel sumitur practice prout movet ad opus bonum moraliter, & de hoc discutendum idem est, ac de ipsis operibus bonis.

## §. III.

## Argumentorum solutio.

10 **A**guitur primo contra primam assertionem. Nam homo lapsus indiget speciali gratia ad attingendum opus bonum moraliter, si est difficile, ut est dilectio Dei naturalis, victoria gravis tentationis, & alia huiusmodi, ergo etiam indiget gratia ad aliquas veritates naturales cognoscendas, quae non nisi per plures consequentias ex primis principijs inferuntur, & quae longum tempus exposcunt. Antecedens ex dicendis dubijs sequi constabit. Et consequentia probatur: quia sicut voluntas vulnerata est per peccatum, ita intellectus; sed ob hanc rationem voluntas non potest sine gratia speciali omne opus bonum morale intra ordinem naturae elicere: ergo nec intellectus potest adhuc divisivè omne verum naturale cognoscere.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam, propter duplicem rationem disparitatis. *Prima est*, quia intellectus non fuit vulneratus in primis principijs cognoscendis, sed tantum in extrinsecis. Ceterum voluntas vulnerata fuit erga ultimum finem, qui est primum principium in practicis, quatenus amisit amorem efficacem Dei auctoris naturalis, & qui omnino praerquiritur ad aliqua opera bona difficilia intra ordinem naturalem. *Secunda*, quae deducitur ex prima, est: quia inter voluntatem, & appetitum sensitivum datur certa pugna, dum appetitus sensitivus inclinatur ad sensibilia contra dictamen rationis, ad quam inclinationem vincendam saepe non sufficientes vires propriae ipsius

vo-

voluntatis, sed necessaria est aliqua gratia indubitata. Intellectus verò licet indigeat ministerio sensuum, non tamen oppugnetur ab illis, & aliunde cognitio veritatum speculativa perficitur intra ipsum intellectum. Et hac ratione, quamvis voluntas nequeat absque speciali gratia aliqua naturalia opera bona moraliter elicere, nulla tamen est veritas, cuius notitiam non possit intellectus sine illa comparare.

11 Arguitur secundum. Nam plures sunt veritates naturales, quarum species homo viribus naturae non potest acquirere, ut de Angelis, & pluribus rebus possibilius: ergo indiget gratia ad eas cognoscendas. Consequentia est legitima: quia species est necessaria simpliciter ad cognoscendum obiectum.

Ad hoc argumentum facile respondetur, nostram assertionem solum procedere de illis veritatibus, quae continentur in primis principijs persè notis, & ex sensibilibus deducibiles, ut praemonuimus §. 1. Si verò alicui veritati deficit aliqua ex his conditionibus, ut contingit in veritatibus in argumento relatis, & secretis cordium, & futuris contingentibus, ad earum cognitionem indiget homo speciali gratia. Sed inde nihil contra nos.

12 Arguitur tertio. Nam conclusiones theologicae sunt naturales in nostra sententia, & cognoscibiles naturali discursu; & tamen homo indiget speciali gratia ad earum assensum, videlicet fide infusa: ergo saltem veritates naturales, quae de Deo deduci possunt, nequit homo sine gratia cognoscere.

Et confirmatur ex illo 1. ad Corinth. 2. *Quae sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei.* Item ibidem: *Animalis homo non percipit ea, quae Dei sunt, & non potest ea intelligere:* ergo ad cognoscendas veritates naturales, quae ad Deum pertinent, homo indiget speciali gratia.

Ad argumentum satis respondetur ex proxime dictis, quod tantum est sermo de illis veritatibus, quae continentur in primis principijs naturalibus persè notis, quales non sunt veritates theologicae. *Adde*: quod licet requiratur gratia specialis, v. g. fides, radicaliter ad veritates theologicas cognoscendas, secus verò proxime: nam semel cognitae per fidem primis principijs supernaturalibus, intellectus absque speciali gratia potest deducere, & cognoscere veritates communes Deo, & creaturis, ut quod habeat intellectum, voluntatem &c. & alias propriae illius prout est vnus, ut quod sit aeternus, immensus &c. *Adde secundo*: Quod metaphysicus ex principijs naturalibus illas deducit proprijs viribus, quamvis tunc non sint formaliter theologicae: quod signum est non indigere hominem speciali gratia ad deducendas illas ut theologicas nisi radicaliter modo innuato.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

Ad confirmationem respondetur. Apostolum loqui de notitia Dei, prout est auctor supernaturalis. Vel, si loquatur de veritatibus, quae humano & naturali discursu cognosci possunt, sermo est de homine animali, hoc est de homine rebus sensibilibus, & delectationibus corporeis totaliter dedito.

13 Adverius secundam assertionem arguitur primo: Nam tota collectio veritatum, de quibus est sermo, est obiectum proportionatum nostri intellectus; sed intellectus non indiget gratia ad attingendum suum obiectum proportionatum: ergo non indiget gratia ad cognoscendam collectionem huiusmodi veritatum. Maior probatur: nam quaelibet veritas in particulari est obiectum proportionatum: ergo etiam tota collectio illarum.

Ad hoc argumentum respondetur negando maiorem, si intelligatur de obiecto proportionato tam physice, quam moraliter. Ad cuius probationem, concedo antecedenti; negari debet consequentia, propter disparitatem inter quamlibet veritatem scorsim sumptam, & totam collectionem: quia in ordine ad quamlibet in particulari nullum adest impedimentum extrinsecum, quod per regularem vitae humanae periodum vinci non possit: quae tamen non sufficit ad collectionem omnium earum cognoscendam, propter alia impedimenta supra enumerata, quae inducunt impotentiam moralem, ad quam tollendam necessaria est specialis gratia.

14 Arguitur secundo: Nam homo habet naturalem appetitum ad totam collectionem huiusmodi veritatum cognoscendam: ergo potest illam viribus proprijs cognoscere. Patet consequentia: quia appetitus naturalis non terminatur ad aliquod impossibile.

Ad hoc argumentum respondetur, quod licet homo non habeat appetitum naturalem ad id, quod non potest consequi nisi supernaturali gratia; potest tamen habere appetitum naturalem ad id, ad cuius consecutionem indiget gratia naturali; & huiusmodi est collectio veritatum, de quibus nobis est sermo. Quare homo in natura integra cum auxilijs communibus illius status, quae naturalia sunt, potest pervenire ad huiusmodi collectionem cognoscendam. ¶ Quibus addi potest, quod plura sunt, ad quae datur appetitus naturalis, & natura nequit pervenire ad actum completum, quia non est ad *satiatum esse*, sed consistit in *satiari*. Sicut materia prima dicit appetitum naturalem ad omnes formas sublunares; & non propterea potest omnes illas simul, aut successive habere, propter rationem tactam. Et homo appetit semper vivere; & tamen absque speciali gratia nequit esse aeternus. Similiter ergo dicimus, quod intellectus habet appetitum naturalem ad totam collectionem veritatum naturalium, sed non pe-

X

tit

tit ex vi appetitus pervenire ad *satiatum esse*, quod sufficit, quod nulla sit veritas, quæ seorsim non possit cognosci viribus proprijs.

15 Arguitur tertio, & vltimo. Nam deficiabilis naturalis intellectus humani non infert impotentiam physicam, aut moralem ad cognoscendum omne verum naturale collectivè: ergo ex vi nostræ rationis non satis suadet necessitas gratiæ. Antecedens probatur: nam deficiabilitas humani intellectus satis salvatur per hoc, quod deficiat in aliquo actu secundo, sed per hoc, quod deficiat in aliquo actu secundo, non arguitur, quod habeat impotentiam, quia multociens deficiamus in actu secundo, habentes potentiam tam physicam, quam moralem proximè expeditam: ergo.

Ad hoc argument. respondetur, quod licet verum teneat in alijs rebus seu potentijs; secundum verò in intellectu in ordine ad verum purè speculativum: nam intellectus est necessitatus ad cognitionem principiorum, supposita explanatione terminorum; & ad cognitionem conclusionum, supposita cognitione principiorum. Unde si aliquando deficit, & in errore probabitur, est, quia deficit ei potentia physica, vel moralis non ad quamlibet veritatem seorsim sumptam, sed ut dicitur ordinem ad collectionem.

## DUBIUM II.

*Utrum homo in natura lapsa absque gratia possit elicere aliquid opus virtuosum?*

16 Hoc dubium excitat expressè D. Thom. in præf. art. 2. Pro cuius luce, nota nomine *gratia* posse intelligi vel gratiam sanctificantem, vel gratiam fidèi, vel tandem gratiam aliquam specialem intra ordinem naturæ illi indebitam, & distinctam à concursu generali. Titulus dubij non intelligendus est de prima, vel secunda gratia, quia certum est de fide, quod peccatores, in quibus non est prima gratia, & infideles, quia carent secunda, eliciunt aliqua opera honesta nulla circumstantia vitiata, ut late suadet ex Script. ex Concilijs, ex Pontificibus, & SS. PP. expofitores Angel. Præcept. contra Michaëlem Baium, & Ianfenium, ut videri potest apud NN. Salmant. in hoc tract. disp. 2. dub. 2. Gonet disp. 1. art. 3. & Ferre quæst. 3. §. 1. & 2. Et propterea hæc propositio 35. inter alias Michaëlis Baij, *Omne quod agit peccator, peccatum est*: Et propositio 26. eiusdem, & Ianfenij, *Omnia opera infidelium sunt peccata*, damnata sunt à Pio V. & Gregorio XIII. necnon à Trident. sess. 6. can. 7. & novissimè ab Alexandro VIII. Unde tota controversia est cum catholicis, videlicet cum Ariminenf. in 2. dist. 28. art. 1. conclus. 1.

Vazquez in præf. disp. 190. & Contenson; qui defendunt necessitatem alicuius gratiæ specialis saltem intra ordinem naturæ, & concessa ex meritis Christi. Inter quos tamen est non leve dissidium: siquidem Ariminenf. & Contenson illam statuunt, ut det non solum *agere*, sed etiam *posse* ex defectu potentia. Vazquez verò dicit, non esse necessariam ex defectu potentia, sed ut tollat indifferentiam illius ad bonum, & malum. Docetque consistere in quadam cogitatione honesta & congrua à Deo immissa, infallibiliterque connexa cum opere bono, ex vi scientiæ mediæ prudentis voluntatem operaturam esse tale opus. Oppositam autem sententiam docent communiter Theologi maximè Thomistæ cum suo Angelico Magistro, quos supervacaneum est recensere. Pro qua sit.

## §. I.

*Prima conclusio contra Gregorium Ariminenf.*

17 Dicendum est primò, hominem lapsum non indigere aliqua gratia speciali sufficienti, & dante potentiam ad eliciendum aliquid opus bonum morale. Et probatur primò autoritate sacre Scripturæ: Nam ad Rom. 2. dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*. In quo loco docet D. Paulus, quod gentiles naturaliter, hoc est per vires naturales, & ductu præcisè naturæ, servant ea, quæ ad legem naturalem spectant: ergo iuxta Apost. nulla requiritur gratia dans *posse* ad elicienda aliqua opera bona moraliter.

Et confirmatur ex D. August. lib. de Spiritu, & litt. cap. 27. ubi prædicta verba Apost. exponens inquit, quod inter infideles *quædam naturaliter facta legimus, novimus, & audivimus, quæ secundum iustitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus*; sed opera, quæ digna sunt laude, nequeunt esse indifferentia, nec mala moraliter, sicut quæ sunt vituperio digna, nequeunt esse bona moraliter, nec indifferentia: ergo iuxta expositionem Augustini rectè probatur testimonio Apostoli, quod per vires naturæ sine vlla gratia possunt elici aliqua opera moraliter bona.

18 Secundò probatur autoritate PP. Primus est Basil. in Hexamer. hom. 9. ubi inquit: *Sunt apud nos ipsæ virtutes secundum naturam, ad quas habendas affinitas animæ ex ipsa natura nobis inesse videtur*. Ubi, ut videtur, ad has virtutes nullum speciale auxilium per Christum requirit. Quinimò docet infra, eo modo ex ductu naturæ ad huiusmodi virtutes comparandas, & ad opposita vitia vitandas inclinari, sicut ad corporalem sanitatem procuran-

randam, & contrarium morbum declinandum; conantem autem, ad hoc posterius non esse necessarium auxilium gratiæ: ergo iuxta Basil. nec ad aliqua opera virtuosa elicienda.

Secundus est Christof. hom. 67. ad populum Antioch. ubi ait: *Per hæc rursus ostendit, Deum sic hominem finxisse, ut possit per se eligere virtutem, ac vitium declinare*. Ubi ad propriam arbitrij libertatem refert, posse hominem virtutem exercere, & vitium contrarium vitare.

Et misis alijs, accedat August. qui solet adduci pro sententia contraria. Nam lib. 3. Hipognost. constituit discrimen inter opera hominis pertinentia ad Deum, & opera presentis vitæ, quæ sunt naturalia: & ait, quod ad illa non est sufficiens liberum arbitrium, bene tamen ad illa. Et citato lib. de Spiritu, & litt. cap. 28. ait: *Sicut enim non impediunt à vita aterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem aeternam nihil profuit impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur*. Sentit ergo, quod satis est liberum arbitrium ad aliqua opera bona moralia.

Ultimus est D. Thom. qui in hoc art. 2. docet expressè, quod homo in statu naturæ lapsæ potest per virtutem suæ naturæ agere aliquid opus bonum particulare. Idem docet 2. 2. quæst. 10. art. 4. ubi ex eo probat, aliqua opera in infidelibus esse bona moraliter, quia per peccatum non corrumpitur totum bonum naturæ. Ex quo infert, quod bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aequaliter operari possunt. Item 1. 2. quæst. 65. art. 2. docet, posse hominem proprijs viribus acquirere virtutes operativas boni, quæ non excedunt facultatem naturalem, sicut fuerunt in multis gentilibus. Et tandem in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 1. expressè concludit, quod homo ex se potest facere opera fortia, & iusta, licet non possit mereri. Ergo iuxta D. Thom. homo in natura lapsa nulla gratia eget ad aliqua honesta opera exercenda.

Et confirmatur ex bulla Pij V. & Greg. XIII. à qua nostra assertio robur accipit, & in qua damnatur propositio sequentes Michaëlis Baij. Prima est, in ordine 37. *Cum Pelagius sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit*. Secunda, & in ordine 28. est: *Liberum arbitrium sine gratia, & Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet*. Quas propositiones, & alias similes damnarunt Pontifices, ut saltem piarum aurium offensivas, ut recolenti bullam constabit.

19 Tertio probatur assertio ratione: Nam homo ante peccatum per solas vires liberi arbitrij poterat elicere aliquid opus bonum mora-

le: ergo etiam in statu naturæ lapsæ. Antecedens est certum: siquidem prædictum opus est proportionatum non solum physicè (ut omnes supponunt) sed etiam moraliter cum præfatis viribus: cum ante peccatum nullum esset impedimentum causans improportionem moralem. Consequentia verò probatur: tum quia, ut docent communiter Theologi, omnia naturalia manserunt integra post peccatum tam in Angelis, quam in hominibus; & propterea Trident. sess. 6. can. 5. definit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum, amissum, & extinctum esse &c. anathema sit*: ergo si ante peccatum per solas vires liberi arbitrij homo poterat elicere aliquid opus bonum morale, etiam in statu naturæ lapsæ; alias homo quoad hoc inanerit mortuus, & totaliter corruptus. Tum etiam: nam opus bonum morale non est impossibile cum statu peccati, ut liquet in elemosyna ex propria honestate, & pietate erga parentes: ergo per peccatum non amittit homo vires expeditas ad eliciendum opus bonum morale.

Et confirmatur hæc ratio: Nam homo, si conderetur in statu naturæ puræ, posset elicere proximè & expeditè per vires propriæ naturæ plura opera bona moralia: ergo etiam homo in statu naturæ lapsæ. Antecedens ex proximè dictis constat: siquidem prædicta opera sunt ex se proportionata viribus naturæ secundum se; & aliunde rebellio & pugna appetitus sensitivi, quæ in eo statu adesset, non prælerat totale impedimentum ad prædicta opera, sed quendam difficultatem ad illa, qua carebat homo in statu iustitiæ originalis, & careret in statu naturæ integre, ut rectè docet D. Thom. supra quæst. 85. art. 1. Consequentia verò probatur: quia, ut prænotavimus, ex communi Theologorum consensu, homo in statu naturæ lapsæ tantum distinguitur à seipso, prout esset in statu naturæ puræ, sicut nudus, & nudatus: ergo si in hoc statu posset elicere aliqua opera bona moralia, etiam in alio potest.

20 Huic rationi, simul & confirmationi respondet Contenson ex Gregorio, quod homo lapsus potest absque gratia speciali elicere aliquid opus bonum ex obiecto, non tamen potest illud referre in Deum ut vltimum finem saltem naturalem: quod necesse erat, ut tale opus esset in individuo bonum moraliter.

Contrà est. Nam imprimis ex hac solutione sequitur, hominem (supposita alia sententia huius Authoris, nempe quod homo tantum in statu naturæ puræ, quam lapsæ indiget gratia ad conversionem in Deum finem naturalem, de qua dub. seq.) non posse elicere adhuc in statu naturæ puræ aliquid opus bonum morale; sed hoc est contra communem sensum Theologorum: ergo quidquid sit, quod in statu naturæ lapsæ possit, vel non possit se convertere in

Deum finem naturalem absque gratia, homo potest elicere aliquod opus bonum morale.

Deinde falsum omnino est, quod homo in statu naturae lapsae saltem potentia antecedenti non possit se convertere in Deum finem naturalem; & in statu naturae purae non possit tam potentia antecedenti, quam consequenti, ut dub. seq. ostendimus: ergo potiori titulo potest in vitroque statu, ac vtraque potentia elicere aliquod opus bonum morale.

Tandem: Nam permisso, quod homo sine gratia speciali non possit se convertere amore absoluto & efficaci in Deum finem naturalem; non potest negari, quod possit se convertere amore inefficaci, ad modum quo (proportione servata) potest sine gratia habituali per actum attritionis inefficaci se convertere in Deum finem supernaturalem; sed huiusmodi amor inefficax Dei finis naturalis est honestus & laudabilis, sicut actus attritionis, ut constat ex bulla supra relata, in qua damnatur haec propositio Michaelis Baij, *Omnis amor creaturae rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, qua a Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur*: ergo homo non indiget speciali gratia ad aliquod opus bonum morale.

Et confirmatur. Nam opera ex obiecto bona elicita propter intrinsecam suam honestatem sunt ex omni parte moraliter bona, tamen non ordinantur formaliter ad Deum ultimum finem; sed homo absque gratia speciali potest elicere plura opera ex obiecto bona propter intrinsecam suam honestatem: ergo idem quod prius. Minor constat: quia evasio Contentionis id supponit. Maior verò probatur: tum quia alias homo teneretur, quodcumque operatur, se convertere in Deum ultimum finem naturalem, si non adest cognitio Dei finis supernaturalis, & supernaturalem per charitatem, si adest: quod nullus catholicorum dicit propter propositionem Michaelis Baij à Romanis Pontificibus damnatam, & supra num. 16. relatum, nempe, *Omne, quod agit peccator, peccatum est*. Tum etiam: quia dum homo operatur propter intrinsecam honestatem alicuius operis ex se honesti, eo ipso virtualiter operatur propter suum ultimum finem naturalem, cui virtualiter subordinatur; sed hoc satis est, ut tale opus sit in individuo bonum morale, sicut propositum efficax operandi in omnibus secundum rectam rationem, in ijs qui ignorarent Deum auctorem naturalem, ordinaretur virtualiter in ipsum, esset in individuo honestum, per illudque satis adimpleretur praecipuum, quo pueri obligantur ad se convertendum in Deum ultimum finem, quando primò perveniunt ad usum rationis, ut pro-

batum manet tract. prac. disp. 3. dub. 1. append. ergo &c.

## §. II.

## Secunda conclusio contra Vazquez.

21

**D**icendum est secundò, hominem in statu naturae lapsae non semper egere aliqua cogitatione sancta, aut motione aliqua efficaci per modum gratiae specialis ad operandum bene moraliter. Haec assertio supponit, quod homo in quolibet statu non potest bene operari sine aliqua cogitatione sancta, & motione efficaci: motio enim efficax est praerequisitum generale ad omnem operationem creatam, maxime liberam, iuxta communem Theologorum sententiam, praesidendo à modo motionis, & cogitatio sancta debet praevinire omnem operationem moraliter bonam voluntatis. Quod verò negamus contra Vazquez est, quod haec cogitatio, aut motio, requisita ad omne opus moraliter bonum, in nobis habeat rationem specialis gratiae, & distincta à concursu generali. Et probari potest primò ab autoritatibus §. praeced. adductis, in quibus omnis gratiae necessitas denegatur ad aliqua opera bona moralia.

Deinde probatur ratione: Nam homo adhuc in statu naturae lapsae habet ex se, & ex propria natura sufficientes vires expeditas ad aliqua opera bona moralia, ut supponit Vazquez, & nos satis probavimus conclus. praeced. ergo cogitatio sancta, & motio efficax praerequisita ad praedicta opera non habent rationem gratiae specialis. Probatur consequentia: nam id, quod naturae est debitum saltem in aliquo individuo vagè, nequit habere rationem gratiae specialis; atqui cogitatio illa congrua, & efficax, sive alia quaecumque motio efficax est debita naturae saltem in aliquo individuo vagè, si ex se habet in omnibus sufficientes vires ad aliqua opera bona moralia: ergo non habet rationem gratiae. Minor probatur: nam debitum est naturae saltem in aliquo individuo vagè concursus ille necessarius ad actu operandum, si ex se habet sufficientes vires ad operandum; aliàs providentia praestans omnibus vires ad operationem esset defectuosa, cum ex se non posset conferre omnem concursum necessarium ad actuale operationem; sed motio efficax est necessaria ad actu operandum: ergo naturae habenti sufficientes vires ad actuale operationem debita est saltem in aliquo individuo vagè motio illa efficax descripta à Vazquez.

Confirmatur, & simul declaratur ratio: Nam ad eandem providentiam spectat conferre saltem in aliquo individuo vagè, etsi non in omnibus, illum concursum necessarium ad operandum, ad quam spectat conferre vires expeditas

ditas ad operationem, aliàs praedicta providentia esset defectuosa; sed ad providentiam Dei communem, & non specialem gratiae, spectat conferre homini vires expeditas ad aliquas operationes bonas, necnon ad cogitationem sanctam, saltem ut sufficientem, ut concedit Vazquez: ergo ad eandem providentiam spectat conferre motionem efficacem ad operationem, vtpote necessariam ad operationem. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, probatur: tum quia aliàs talis providentia communis ex se non posset praestare totum id, quod ad operationem requiritur. Tum etiam: quia hoc relucet respectu creaturae irrationalis, quae multoties potest impediri a suis operationibus; & tamen, dum praestatur ei praedicta motio, fit ex vi providentiae generalis. Idem apparet, adhuc in sententia Vazquez in nostra voluntate in ordine ad actu sive persè, sive per accidens in individuo indifferentem.

Accedit: quod propterea motio illa haberet rationem gratiae quia voluntas est indifferens ad bonum, & ad malum, & est ei indebita motio efficax ad bonum; sed haec ratio nulla est. Probat minor: tum quia etiam intellectus noster indifferens est ad cognitionem veram, & falsam cuiuslibet obiecti particularis, & non idcirco motio ad veram est gratia specialis. Tum etiam: nam quia natura indifferens est ad bonum, & ad malum, ex se postulat providentiam etiam indifferentem ad praestandum concursum ad bonum in aliquibus, ut appareat eius inclinatio ad ipsum bonum; & ad negandum concursum in alijs, ut relucet intrinseca defectibilitas illius: ergo concursus ille efficax non habet rationem gratiae specialis.

22 Ulterius probatur haec eadem assertio ab inconvenientibus. Nam si praedicta cogitatio congrua, seu motio efficax esset gratia specialis, sequeretur primò, quod providentia communis gubernans naturam humanam esset infructuosa, deserviretque tantum ad permittenda peccata; hoc videtur maximum inconveniens: ergo non est specialis gratia. ¶ Sequitur secundò, cogitationem congruam, seu motionem efficacem esse specialem gratiam in statu naturae purae, quia haec esset indifferens ad bonum, & malum; hoc est falsum, quia ad illum statum nulla gratia specialis spectat, & manens intra eundem statum habere posset omnia requisita ad bene operandum, aliàs providentia pertinens purè ad praedictum statum solum deserviret ad permittenda peccata, ut proxime diximus: ergo. ¶ Sequitur tertio, quod in homine pro statu innocentiae, & pro statu naturae integre, si in eo conderetur, cogitatio congrua, seu motio efficax esset gratia specialis, quia indifferens esset in vitroque statu ad bonum, & ad malum; consequens est falsum, siquidem in his statibus nulla erat, vel foret rebellio partis inferioris con-

tra rationem: ergo. ¶ Sequitur quartò, quod homo saltem remotè posset se disponere ad gratiam per opera praecise naturalia, qualia sunt de quibus est sermo: quia quavis opera bona moralia, & qualibet gratia specialis, iuxta sententiam Vazquez, est sufficiens dispositio ad gratiam habitualement; hoc est contra mentem sacrae Scripturae, & SS. PP. ut suo loco videbimus: ergo. Accedit: quod Vazquez (velit, nolit) incidit in damnationem propositionum Michaelis Baij, quas supra retulimus. Talis est illa, *Liberum arbitrium sine gratia, & adiutorio Dei non nisi ad peccatum valet*. Et ista, *non nisi cum pelagiano errore admitti potest usus liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratia Dei iniuriam facit, qui ita sentit, & docet*; sed est constans sententia Augusti, & Div. Thom. nulla dari opera indifferentia in individuo, ut fatetur Vazquez: ergo haec opinio Vazquez continetur sub praedicta damnatione: vel directe est contra Div. Aug. & D. Thom.

## §. III.

## Argumenta sententiae contrariae.

23 **P**rimò arguunt adversarij ab autoritate congruentes plurima testimoniata tam Scripturae, quam Conciliorum, & SS. PP. à quibus docetur, quod sine Deo & adiutorio illius nihil homo potest facere, & quod gratia Dei requiritur ad singulos actus. Sed ab eis recitandis superfluedemus: quia exponi possunt de actibus bonis, prout conducunt ad salutem. Vel de gratia large sumpta, quatenus auxilium Dei efficax solet gratia nuncupari, quamvis continetur intra limites providentiae generalis: ut videre est in D. Thom. in 2. dist. 28. quest. 1. art. 1. ubi loquens de voluntate Dei beneficiente omni creaturae tam rationali, quam irrationali, ait: *Nihil tamen bonum potest fieri sine gratia Dei*: id est sine concursu Dei conservante vires proximas ad operandum, & sine concursu actualiter concurrente in omnem operationem creatam. Et quod haec fuerit mens Scripturae, SS. PP. & Conciliorum patet evidenter: Siquidem eorum intentum praecipuum est refutare errorem Pelagij; sed Pelagius non erravit in hoc, quod negaret necessitatem gratiae ad opus aliquod bonum morale, ut adversarij fatenti tenentur, ne ipsi damnati maneat cum Michaeli Baio: ergo vel non loquuntur de gratia rigorosè sumpta; vel sermo est de singulis actibus bonis, prout conducunt ad salutem. Unde argumento ab autoritate praetermissio.

24 Arguitur primò: Nam homo in statu naturae lapsae ex se non habet vires sufficientes ad eliciendum aliquod opus bonum morale: ergo

go indiget gratia speciali ad illud elicendum. Antecedens probatur: quia demones, & damnati non habent vires sufficientes ad elicendum aliquid opus bonum morale: ergo nec homo in statu naturæ lapsæ. Antecedens supponitur. Et consequentia probatur: nam in demones non est extinctum liberum arbitrium, nec vulnerati sunt in naturalibus, ita ut sublatum fuerit ab eis aliquid de perfectionibus naturalibus; & tamen ex vi earum non habent sufficientes vires ad elicendum aliquid opus bonum morale: idemque dicendum est de damnatis: ergo homo lapsus, quamvis in eo maneat post peccatum omnes perfectiones sibi connaturales, non habet sufficientes vires ad elicendum aliquid opus bonum morale.

Ad hoc argumentum facile respondetur, quod vires naturales tam Angeli, quam damnati, quantum sunt ex se, sufficiunt ad aliquid opus bonum morale elicendum; at adest in eis specialis ratio, cur non possint illud exercere. In demone enim voluntas eius manet post peccatum electionem ex natura sua inflexibilis, indeclinabiliter & firmiter adhaerens fini perverso superbia, quem elegit, ita ut nequeat operari nisi cum actuali relatione ad prædictum finem, & propterea nullum opus eius liberum potest esse bonum morale. In damnato etiam datur ratione status eadem inflexibilitas. Homo verò post peccatum non manet inflexibilis, propter imperfectionem suæ electionis: qua ratione propria illius facultates ex se possunt prorumpere in aliquid bonum opus.

25 Arguitur secundò. Nam debilius est homo ad bonum morale, dum est in statu naturæ lapsæ, quam in puris naturalibus, & propterea hoc dicitur per peccatum non solum gratuitis spoliatus, sed vulneratus in naturalibus; sed homo posset aliquid opus bonum morale elicere, non omne, si conderetur in puris naturalibus: ergo in natura lapsa nullum potest.

Ad hoc argumentum respondetur, ex eo tantum inferri, quod homo in statu naturæ lapsæ potest per proprias vires elicere cum maiori difficultate omnia ea opera bona moraliter, vel aliqua, quæ posset elicere in statu naturæ puræ, quod liberum concedimus: quia, ut docet Div. Thom. supra quæst. 85. art. 1. per peccatum minuitur inclinatio ad bonum, quatenus ponit inclinationem ad suum oppositum.

Ad id quod additur de vulnere naturæ: dicendum est eum eodem Angel. Magistro ibidem art. 3. quod non solum dicitur aliquid vulnerari, quando admittit ei aliquid caritatis, sed etiam quando fit aliqua quasi violenta separatio, qua male se habeat: natura autem humana producta fuit perfecta & sana ratione iustitiæ originalis, & cum unione perfecta partis

inferioris cum superiori, quæ dissoluta fuit per peccatum: & propterea dicta est vulnerata in naturalibus, non propter ablationem alicuius quod in natura pura existisset. Quinimò etiam dicitur attenuata, & infirma ratione peccatis; hæc autem est differentia inter infirmum, & mortuum, quòd infirmus potest exercere aliqua opera vitæ, secus verò mortuus. Ex quo rectè colligitur, quòd licet homo ratione peccati habeat maiorem difficultatem ad bonum, quam in natura pura, & longe maiorem, quam in statu innocentis, potest tamen exercere aliqua opera bona.

26 Arguitur tertio: Nam oratio est signum necessitatis gratiæ, ut testatur D. August. epist. 95. ad Innoc. his verbis: *Oratio est clarissima gratia testificatio*; sed in omnibus actibus bonis vtiliter petimus, ut nos sua gratia Deus proveniat: ergo ad singulos actus bonos est necessaria gratia per Christum. Maior probatur: nam frustra petimus, ut Patres proclamant, quæ in nostra sunt potestate: Item, cum petimus adiutorium bonorum operum, non petimus generale auxilium, sicut non petimus quòd sol illuminet, nec quòd ignis comburat: ergo si oratio funditur pro gratia Dei ad omnia opera bona moralia, signum est, quòd habet veram rationem gratiæ per Christum.

Hoc argumentum potest retorqueri ad hominem contra Vazquez. Siquidem etiam petimus bona temporalia, & pro eis collatis gratias Deo agimus, quin frustra sit nostra oratio, aut gratitudo; & tamen non sunt specialis gratiæ non ergo ex necessitate orationis, aut gratiarum actione satis deducti necessitas specialis gratiæ ad singulos actus bonos moraliter. Item iuste possumus petere cogitationem, quam ipse vocat *sufficientem ad bonum*, quæ non est gratia. Tandem non frustra petimus beneficium conservationis, quæ non est specialis gratia. ¶ Si verò dicat, ut verè dicit disp. 189. cap. 12. quòd prædicta bona petimus, non ut bona temporalia sunt, sed ut conducunt ad vitam æternam: Idem possumus nos dicere circa orationem bonorum operum, ad quæ tantum requiritur concursus generalis, licet ad ea, prout conducunt ad salutem, necessaria sit specialis gratia per Christum. ¶ Per quod constat ad probationem: Nam Patres illo principio utebantur contra Pelagium ex duplici capite: primò, quia negabat necessitatem concursus Dei efficaci: secundò, quia negabat necessitatem gratiæ sufficientis, prout distinctè à beneficio creationis, ad opera conducentia ad salutem: Et ex hoc potissimo capite merito Patres resellunt Pelagium videntes illo principio, quòd frustra petimus, quæ in nostra sunt potestate. Sed quia in nostra potestate non est auxilium efficax, nec est debetum singulis hominibus, nec habemus ex nobis sufficientes vires ad aliqua opera, prout condu-

## Alia argumenta sententiæ contrariæ.

28 Arguitur quinto, & difficilius: Nam omne opus moraliter bonum ex se conducit ad salutem; sed ad omne opus, prout conducit ad salutem, est necessaria specialis gratia per Christum: ergo ad omne opus moraliter bonum requiritur specialis gratia. Maior, in qua tantum est difficultas, probatur primò: nam iuxta Patres opera omnia moralia solum sunt in duplici differentia: alia, quæ sunt carnalia, & spectant ad vtilitatem huius vitæ: alia, quæ pertinent ad veram iustitiam, & ad Deum; sed opera primi generis pertinent ad damnationem, & penam, ideoque sunt mala moraliter: ergo omne opus bonum morale conducit ad salutem. Secundò: Nam opus bonum morale difficile, & facile sunt intra eundem ordinem; sed difficile pertinet ad salutem: ergo etiam facile.

Et confirmatur primò: Nam ad omne opus bonum morale requiritur sancta cogitatio congrua; sed hæc est specialis gratia per Christum: ergo requiritur aliqua specialis gratia ad omne opus bonum morale. Minor probatur: tum quia homo in penam peccati originalis potuit privari omni sancta cogitatione congrua: ergo est speciale beneficium, & specialis gratia ei, cui conceditur. Tum etiam: quia nulli in particulari est debita, & ita cuiuslibet citra iniuriam creationis potest negari: ergo est specialis gratia.

Roboratur. Voluntas hominis est indifferens ad bonum, & ad malum: ergo cogitatio congrua ad bonum, seu motio efficax est ei indebita, proindeque habet rationem gratiæ. Prima consequentia, ex qua pendet secunda, fundetur: Nam voluntati indifferenti ad bonum, & ad malum non debetur, quòd conferatur ei id, quòd potius conducit ad bonum, quam ad malum: hincque oritur, quòd si ex duobus hominibus sic indifferentibus vni concedatur, & alteri negetur, nulla fit huic iniuria; & oppositum contingeret, si ei deberetur: ergo est indebita.

Confirmatur secundò: Stat optime, quòd homo habeat vires sufficientes & expeditas ad bonum opus morale, & quòd cogitatio congrua seu motio efficax habeat verè rationem gratiæ: ergo. Antecedens probatur: tum in homine iustificato, in quo sunt vires sufficientes ad actum v. g. charitatis; & tamen auxilium efficax verè habet rationem gratiæ: ergo idem dicendum est de morione efficaci requisita ad quodlibet opus bonum morale. Tum in eodem homine iustificato, qui habet potentiam expeditam ad totam legem tam naturalem, quam su-

cunt ad salutem, hinc est, quòd ex vno, vel altero capite non est frustra oratio nostra. ¶ Si verò ex hoc inferas, quòd oratio esset frustra, si terminatur ad aliqua opera honesta præcisè secundum se. Concedendum est de oratione christiana; licet admitti possit quædam oratio pro modum humane impræcationis, quam admittit Concil. Arausic. cap. 3. quæ non est simpliciter oratio.

27 Arguitur quartò: In homine iusto omnia opera bona procedunt ex gratia speciali: ergo etiam in homine peccatore. Consequentia est legitima: quia prædicta opera in vtroque sunt eiusdem rationis secundum rationem intrinsecam. Antecedens verò probatur: nam prædicta opera sunt meritoria vitæ æternæ in homine iusto, ut nunc supponimus; sed necessaria est gratia ad quælibet opus, prout conducunt ad salutem: ergo procedunt in homine iusto à gratia speciali. Adde: quòd in homine peccatore sunt saltem impetratoria ad iustificationem, ut teuentur Catholici contra Scimpelagianos: ergo etiam procedunt ex aliqua gratia.

Hoc argumentum, quo vitur Vazquez, nihil proficit eius sententiæ: siquidem cogitatio congrua, ad quam recurrit pro elicendis prædictis operibus, ex se non est satis, ut sint meritoria vitæ æternæ; aliis etiam essent in peccatore. Aliquid aliud ergo necessariò assignandum est ad prædictum effectum: quòd aliud esse nequit præter gratiam sanctificantem actualiter influentem in prædicta opera, & in illam sanctam, & congruam cogitationem. Ex quo constat, aliquam rationem intrinsecam reperiri in prædictis operibus in homine iusto, quæ in homine peccatore non invenitur.

Et si contendat Vazquez sufficere ad prædictum effectum statum gratiæ, hoc est, quòd procedant ab homine grato, quin accipiant aliquam specialem, & intrinsecam perfectionem. Adhuc prædictus effectus reducendus est non in gratiam congruam, quæ est eiusdem rationis in peccatore, & iusto, sed ad gratiam habitualement constituentem hominem Deo gratum. Unde non est mirum, quòd ex vno, vel altero capite sint meritoria vitæ æternæ, non ratione ipsorum operum secundum se, sed ratione meriti, propter quod requiritur gratia. ¶ Ad adiutamentum respondetur, negando absolute, quòd opera bona moralia ordinis naturalis sint ex se impetratoria, aut dispositio ad iustificationem, ut nunc supponimus ex infra dicendis.

\* \* \*



pernaturalem collectivè adimplendam; & tamen auxilium efficax continuatum vsque ad finem vitæ habet verè rationem gratiæ: ergo idem quod prius. Tum denique in homine condito in statu innocentie, vel in Angelo: in quibus erat potentia sufficiens & expedita ad perseverandum, si vellent; & nihilominus auxilium efficax habuit rationem gratiæ specialis adhuc respectu illius status: ergo.

Ad argument. responderetur, negando maiorem. Et ad primam probationem dicendum est, quod opera moralia non solum sunt in duplici, sed in triplici differentia: alia enim sunt pure carnalia, quæ solum ordinantur ad commoditatem huius vitæ, & nullo modo ad aliquam honestatem virtutis; & hæc vel sunt ex se indifferentia, vel ex hac prava ordinatione sunt peccata: alia sunt, quæ ex se ordinantur ad salutem, qualia sunt supernaturalia: & alia sunt mediæ, quæ ordinantur ex se ad finem honestum, non verò ad finem supernaturalem, vt dare elemosynam, velle addiscere artes, velle manducare cum sobrietate, quæ commemorant August. & Div. Thom. & hæc non ordinantur ex se ad salutem: quia ad hoc requiritur vterius, quod ordinatur ad finem supernaturalem. Et propterea motio efficax ad ea requisita non habet rationem gratiæ. ¶ Per quod constat ad secundam probationem: siquidem inter opera ex se honesta difficilior est dilectio naturalis Dei super omnia, & nec hæc conducit ad salutem propter rationem proximè traditam, neque ad eam, quantum est ex se, requiritur gratia specialis, vt dub. seq. statuemus. Diximus quantum est ex se: quia per accidens & per modum removens prohibens requiritur gratia, & non quæcumque, sed habitualis. Sed hoc nihil iuvat Gregorio, aut Vazquez, vt ex se constat.

Ad primam confirmationem responderetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Et ad primam probationem dicendum est, aq̄e virgæ (si aliquid suadet) circa cogitationem bonam sufficientem, ac circa eandem vt congruam; & tamen iuxta sententiam Vazquez cogitatio illa sufficiens non habet rationem gratiæ. Dicimus ergo, quod si revera peccatum originale habuit quoad sufficientiam condignitatem ad carentiam cogitationis efficacis ad bonum, etiam habuit illam ad carentiam cogitationis sufficientis, vt potentia ad bonum, sicut eam habuit ad annihilationem, vt docet Div. Thom. loco citato tract. præced. disp. 3. num. 93. At non potest negari, quod productio hominis cum omnibus suis perfectionibus naturalibus adhuc post peccatum Adami pertinet tantum ad beneficium creationis, & ob eandem rationem cogitatio bona sufficiens non pertinet ad providentiam specialem gratiæ, vt fatetur Vazquez. Idem ergo dicendum est de cogitatio-

ne congrua, seu efficaci motione. ¶ Ad secundam responderetur, quod congrua cogitatio, seu motio efficax nulli est debita in particulari, sed est debita alicui vage: quia attinet ad beneficium creationis, vt in aliquo individuo naturæ rationis exciteretur aliqua congrua cogitatio, vel concedatur motio efficax ad opus bonum morale, ad quod tota natura rationis habet vires: & sic citra iniuriam creationis non potest omnibus denegari saltem iuxta potentiam ordinariam. Et hoc sufficit, vt non sit specialis gratia. Per quod satis constat ad maius robur illius.

Ad secundam confirmationem responderetur, negando antecedens. Ad primam eius probationem distinguenda est minor: habet rationem gratiæ specialis comparative ad subiectum, concedo minorem; comparative ad gratiam habitualem, nego minorem: Et simul consequentiam. Solutio est clara, & constans ex terminis distinctionis: nam auxilium efficax ad actum v. g. charitatis, si comparatur ad gratiam, est debitum eo modo, quo de motione efficaci ad actum bonum morale intra ordinem naturalem hucusque diximus. At si comparatur ad naturam rationalem, seu ad subiectum, hoc pacto est gratia specialis, sicut ipsa gratia iustificacionis seu habitualis. ¶ Ad duas reliquas probationes responderetur, quod gratia habitualis, atenta vertibilitate liberi arbitrii, sive in Angelo, sive in homine in statu innocentie, & dispositione speciali naturæ humanæ post peccatum, secundum quam manet rebellio appetitus contra rationem, nec illam tollit ipsa gratia habitualis, non dat persè primò posse proximum expeditum ad perseverandum vique in finem, nec ad observationem totius legis, sed tantum dat persè primò posse expeditum ad bene operandum. Et propterea auxilium efficax requisitum ad coniungendam mortem cum gratia, vel ad totam legem collectivè adimplendam est specialis gratia. Sed hæc duo exempla postulant ad suam perfectam notitiam specialia dubia, quæ infra proponemus.

29 Arguitur vltimò: Nullus actus est moraliter bonus, nisi actu ordinetur ad Deum vltimum finem; sed ad hanc ordinationem requiritur gratia specialis: ergo nullus actus potest dari moraliter bonus absque gratia speciali. Minor est certa: siquidem, si relatio fiat ad Deum vltimum finem supernaturalem, est effectus charitatis: si ad Deum vltimum finem naturalem, est impossibilis cum peccato, & vterius est difficilissima inter omnia opera bona moralia intra ordinem naturæ afferens propositum efficax adimplendi totam legem naturæ: & propterea est necessaria gratia specialis saltem intra ordinem naturæ. Maior verò, in qua est tota difficultas, suadetur primò: nam bonitas actus dependet à fine maximè ad vltimo, qui

qui est Deus: ergo sine relatione actuali ad Deum nequit actus esse bonus moraliter. Tum etiam quia adest præceptum referendi omnes nostros actus ad Deum vltimum finem, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite*, ex quo resultat illud dictum August. *Omnia bona referenda esse in summum bonum*: ergo qui non ordinat suum actum secundum se bonum ad Deum, peccat.

Hoc argument. imprimis nihil fævet sententiæ Vazquezij (quidquid sit de modo Gregorij, & Contentonis) cum tantum petat ad bonitatem actus cogitationem sanctam congruam. Deinde peccat in maiori: quia ad bonitatem actus moralis satis est, quod expresse ordinetur ad obiectum secundum se bonum, in quo continetur ordinatio implicita ad Deum; & quod expresse, aut implicite non ordinetur ad finem pravum: quo pacto non ordinatur omnis actus secundum se bonus tam in iusto, quam in peccatore, nisi intendatur expresse ipse finis pravus; aliàs omnis actus peccatoris esset positive malus, etiam si eliceretur mediante gratia speciali, vt actus fidei. ¶ Nec contra hoc obest prædictum præceptum referendi omnes actus nostros in Deum. Quia hoc præceptum tantum obligat in causa, & in determinato tempore præcipue in instanti vsus rationis. Peccat etiam in minori, quoad relationem in Deum vltimum finem naturalem, vt dub. seq. ostendimus. Sed antequam ad illud progrediamur, oportet nonnulla corollaria, quæ ex prædicta doctrina deducuntur, expendere.

## §. V.

## Corollaria præcedentis doctrina.

30 EX dictis colligitur primò, hominem, si conderetur in statu naturæ puræ non indigere gratia speciali ad aliqua opera bona moralia elicenda, nec ad cognoscendam quamlibet veritatem, quam homo in statu naturæ lapsæ sine gratia potest cognoscere. Ratio est evidens, si vera sunt dicta: nam homo in natura pura non habet inferiores vires, quam in natura lapsa: aliunde in natura lapsa peccatum diminuit inclinationem eius ad bonum; & nihilominus homo in natura lapsa potest sine aliqua gratia speciali elicere aliqua opera bona moralia, & cognoscere quamlibet veritatem naturalem ex ijs, quæ continentur intra obiectum proportionatum nostri intellectus modo descripto dub. præc. ergo id potest etiam in natura pura sine aliqua speciali gratia. An verò possit aliquid saltem potentia consequenti in natura pura, quod non possit in lapsa, ex dictis dub. sequenti constat.

31 Colligitur secundo, hominem in vtroque Tom. III. Paul. Theol. Salm.

que statu non indigere gratia aliqua speciali ad elicendam aliquam sanctam cogitationem sive sufficientem, sive efficacem requisitam ad opus bonum morale. Quoad sufficientem Vazquez videtur concedere. Et quoad vtramque probatur: nam ad cognitionem sufficientem minus requiritur, quam ad opus bonum morale, & ad efficacem non plus requiritur quam ad ipsam opus bonum morale, vt proportione servata liquet in actu supernaturali, & cognitione illum practicè regulante; sed ad omne opus bonum morale non est necessaria gratia specialis per Christum: ergo nec ad omnem cogitationem practicam sive sufficientem, sive efficacem. Si tamen possibile est intra ordinem naturalem aliquod opus, ad quod necessaria sit aliqua gratia in aliquo ex prædictis statibus, vel in vtroque, pariformiter concedenda est necessitas illius ad cognitionem practicam efficacem: quia licet ad hanc non requiritur plus quam ad opus bonum regulatum, non sufficit minus.

32 Colligitur tertio hominem in vtroque statu non indigere speciali gratia ad victoriam levis tentationis ex motivo honesto. Ita communiter Theologi, contra Vazquez, Contentonem, & Montes, Diximus levis tentationis, quia pro gravibus est institutum speciale dubium. Diximus etiam ex motivo honesto: quia si vinceretur ex motivo charitatis, proculdubio non posset vinci sine auxilio gratiæ specialis: & si vinceretur ex pravo aliquo fine, nullatenus requiritur gratia, vt siquis vincit tentationem non dandi elemosynam, ex inani gloria. Vel tandem diximus levis tentationis indefinitè: vt inuenerimus, nos tantum loqui de victoria tentationis levis circa aliquod opus bonum morale, & ex merito ipsius tentationis, sive proveniat à mundo, sive à carne, sive à demone. Quia si tentatio levis est ad omissionem actus, ad quem requiritur gratia, non dubitamus esse necessariam gratiam, sed non ratione tentationis, sed ratione ipsius actus, Idemque dicimus de tentatione levi circa omnia peccata venialia collectivè sumpta, vel de tentationibus ipsis collectivè acceptis.

Hoc corollarium sic explicatum probatur efficaciter: Quia non plus requiritur ad vitandum aliquod malum, quam ad elidendum bonum oppositum, quin potius plus requiritur ad profectuum bonum, quam ad vitandum malum ei contrarium: quia vitatio mali est actus imperfectus virtutis & iustitiæ, & profectio boni est actus perfectus, iuxta illud psalm. 33. *Diverte à malo, & fac bonum*: ergo si potest homo sine gratia elicere aliquod opus bonum morale, etiam potest vincere tentationem leviem ad malum ei oppositum. Probatum consequentia: nam tentatio levis ex meritis suis non superat vires proprias voluntatis ad profectuum bonum, & vitandum malum; aliàs non esset levis, sed gravis. Accedit ad hæc bulla

Pij V. & Gregorij XIII. in qua inter propositiones damnatas Michaëlis Baij hac habetur: *Omnes sunt fures & latrones, qui dicunt, tentationi vlli sine gratia Dei adiutorio resistere hominem posse.*

33 Sed contra hoc confectarium obijciunt prædicti Authores plura testimonia. Primum est Concil. Arausic. epist. testinodia, quæ est 9. apud Augul. vbi ait loquens contra Pelagium: *Necessario sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus intensionem: si enim possibilitate natura, & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat à Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cum orando possentur, quæ natura nostra iam ita condita sufficientibus viribus obtinentur.* Constat autem, quod non frustra petimus & ne nos inducas in tentationem levem, nec frustra Deo gratias agimus pro victoria illius: ergo iuxta Concil. necessaria est gratia specialis ad superandam tentationem levem. Secundum est D. Chrysof. hom. 14. in 1. ad Corinth. vbi interrogans ad quas tentationes sit necessaria gratia? Respondet, ad omnes. Tertium Greg. Mag. lib. 9. Moral. cap. 7. vbi inquit: *Homo sibi dimissus cuiuslibet tentationis aura raptatur. Quarum, & vltimum (misis alijs) est D. Prosper. contra collat. cap. 35. vbi dicit, nec etiam leviores tentationes sine gratia vinci posse.* Obijciunt secundò rationem: Nam tentatio vel est gravis, vel levis? Si est gravis, non potest homo sine speciali gratia ei resistere. Si est levis, hoc ipsum est gratia specialis Dei non sinentis esse gravem.

Ad primam obiectionem, & ad primum eius testimonium satis constat ex dictis num. 26. Nam sæpe petimus, quæ cum solo concursu generali haberi possunt, vt pluvias, fructus terræ, & corporis sanitatem, pro quibus, & pro beneficio creationis etiam Deo gratias agimus. Ad quod sufficit, quod sint quædam gratia generales. Vel quod ex vi rationis, aut gratiarum actione ordinentur ad salutem, quo pacto necessaria est gratia specialis: Et in hoc sensu loquuntur PP. & Concilia contra Pelagium. Vel quod auxilium efficax non sit in nostra potestate. Ad testimonium Chryf. dicimus, mentem illius esse de victoria tentationum, prout conducit ad salutem, quæ est perfecta & completa. Eodem modo exponuntur D. Greg. & D. Prosp. Maxime, quia non loquuntur de tentationibus secundum se levibus, sed de levibus respectivè ad tentationem Iob, de qua ibi agebat, in cuius comparatione aliæ, etsi absolute graves, leves sunt.

Ad secundam obiectionem respondetur primò, tantum sequi ex ea, quod præsuppositivè interveniat aliqua gratia, secus verò quod, suppositione facta suæ levitatis, requiratur vltior specialis gratia, vt intendunt adversarij,

& nos negamus. Respondetur secundò, quod non omnes tentationes fiunt leves ex speciali protectione Dei: quia aliquæ sunt, attentæ complexione, & alijs causis, secundum se levibus: & adhuc attento concursu generali debitum est, quod aliquæ sint absolute leves. Adde: Quod sicut tentatio gravis potest occurrere, quando occurrit levis, ita potest opus secundum se facile fieri difficile, si gravis tentatio ex opposito instet; & non propterea requiritur gratia, nec est supra generalem concursum, quod sit facile. Idem ergo dicimus de tentatione.

## DUBIUM III.

*Utrum homo lapsus, vel in natura pura possit sine speciali gratia se convertere ad Deum sine naturalem dilectione efficaci, & super omnia?*

**H**Oc dubium separatim à precedenti excitamus propter excellentiam huius actus supra ceteros actus honestos intra ordinem naturalem. Pro luce tamen huius controversiæ nonnulla notanda veniunt. Pro quibus sit.

## §. I.

## Observationes pro dubij intelligentia.

34 **P**rimò præmittendum est tanquam omnino certum, Deum posse amari super omnia non solum vt finem supernaturalem, sed etiam vt finem naturalem. Proindeque amor Dei primò dividi debet in amorem naturalem, & supernaturalem. Quæ divisio, quantum ad amorem Dei supernaturalem, est de fide, & quantum ad naturalem habetur in bulla Pij V. in qua damnatur propositio 32. Michaëlis Baij, qui aiebat: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, vt auctor nature; & gratuiti, quo amatur vt beatorum, vana est, commentitia, & ad illudendum sacris litteris excogitata.* Similes huic sunt propositio 35. & 37. Huius divisionis meminit D. Thom. pluribus in locis, præsertim 1. ad Corint. 13. lect. 4. vbi ait: *Amor est quædam vis unitiva, & omnis amor in unione quadam consistit. Unde secundum diversas uniones diversa species amicitia à Philosopho distinguuntur. Nos autem habemus duplicem coniunctionem cum Deo: vna est quantum ad bona naturalia, quæ hic participamus ab ipsorum alia quantum ad beatitudinem, in quantum hic sumus participes per gratiam supernæ felicitatis: Et secundum primam communicationem ad Deum est amicitia naturalis, secundum quam unumquodque, secundum quod est, Deum vt causam primam, & summum bonum appetit, & desiderat vt finem suum.*

*secundum verò communicationem secundam, est amor charitatis, quo solum creatura rationalis Deum diligit.*

Et potest ostendi hac brevi ratione: Nam amor sequitur cognitionem boni; sed datur cognitio Dei finis naturalis, & supernaturalis: ergo sicut bonitas Dei proposita per fidem est radix amoris supernaturalis per charitatem; ita eadem bonitas cognita per discursum naturalem ex effectibus creatis, & sic proposita voluntati, potest fundare amorem naturalem ipsius Dei. Et confirmatur. Nam quia excellentia supremi dominij Dei cognoscitur discursu naturali, & quod Deus est primum principium rerum naturalium, fundat virtutem religionis naturalis; sicut vt cognitus per fidem vt supremum principium rerum supernaturalium religionem supernaturalem: ergo pariter bonitas divina cognita vt summum bonum intra ordinem naturalem, & supernaturalem potest fundare in nobis non solum amorem supernaturalem; sed etiam naturalem. Consequentia est legitima: Et antecedens certum apud Theologos supra quæst. 63. art. 3.

35 Præmittendum est secundò, vel potius supponendum, amorem Dei naturalem dividi secundò in amorem concupiscentiæ, & amorem amicitie, non quatenus per hunc significatur amicitia rigorosa, quo pacto solum actus charitatis est amicitia, vt dicemus in tract. de Charit. sed quatenus per illum significatur amor benevolentie, distinctus ab amore concupiscentiæ, & reductus ad amorem rigorosum amicitie. Ita communitur Theologi contra Vazquez, qui in præf. disp. 195. cap. 2. tantum concedit intra ordinem naturalem amorem concupiscentiæ erga Deum. Et ratio huius est: quia ex nullo capite repugnat, quod bonitas divipa, prout est summa & fons totius bonitatis create, propter seipsam diligatur, & hoc modo Angelum diligere Deum finem naturalem vt certum supponimus ex tract. de Angel. illumque eodem modo diligeret homo, si esset conditus in integritate nature, sicut Adam; sed prædicta dilectio est benevolentie, & non concupiscentiæ: siquidem per amorem concupiscentiæ non diligitur Deus, nisi quatenus est bonum nostrum: ergo concedendus est amor Dei naturalis, qui dicatur benevolentie, & sit distinctus ab amore concupiscentiæ.

36 Præmittendum est tertio, prædictum amorem benevolentie esse in duplici differentia (tertia divisio amoris naturalis Dei) Alius enim est imperfectus & inefficax, qui consistit in quadam simplici complacencia in bonitate divina, absque eo quod inferat media necessaria ad placendum Deo, nec curet remove impedimenta peccatorum, quibus ab eius obedientia, & amicitia receditur. Et propterea solet appellari *velleitas*, & significatur per verbum modi

subiunctivi, vt *vellem Deum diligere.* Alter vero est efficax & perfectus, qui inferit prædicta media ad placendum Deo, & sollicitat in omnibus gloriam eius, removeque omnia impedimenta, quæ nos ab eius amicitia separare possunt, & explicatur per verbum indicativi modi, vt *volo Deo placere.* Hic autem amor habet tres condiciones. Prima est, quod est absolutus: secunda, quod est efficax: Tertia, quod est super omnia. Et licet hæc condiciones nomine tenus differant, oportet tamen eorum terminos explicare, vt inde melius cognoscatur eius distinctio à præcedenti.

Prima conditio huius amoris est, quod sit absolutus. Et per hoc innuitur, quod assert necessario propositum in omnibus operandi in ordine ad bonum Dei, & assequutionem illius, hoc est, bonum illius procurando, & non alterius. Distinguitur per hoc à velleitate seu amore inefficaci, qui nihil horum præstat. Distinguitur etiam ab amore quodammodo absoluti, qui in ratione absoluti forte respicit aliqua bona Dei, sed non omnia, vt si quis velit absolute honorare Deum, & illi servite in observatione vnus, vel alterius præcepti, sed non vult observationem aliorum, non vult v. g. se abstinere à luxuria. Hic autem amor potest dici *secundum quod absolute*; simpliciter tamen est conditionatus, quia non proceurat in omnibus bonum Dei ad distinctionem amoris omnino absoluti.

37 Secunda conditio est, quod sit efficax: Ad quod requiritur, quod referamus omnia in Deum, & observemus eius præcepta. Non vero requiritur, quod afferat actualem observationem præceptorum per totam vitam, vt vult Molina in sua Concord. disp. 14. memb. 3. contra communem calculum Theologorum. Alias actus charitatis, quo adimpleverunt præceptum Dei Angelus in primo instanti, Adamus in statu innocentie, & plures iusti per longum tempus, non esset efficax, nec adimpletivus præcepti; cum hoc obliget ad amorem Dei efficacem, iuxta illud, *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo &c.* Maxime, quia magis requiritur ad perseverandum in bono, quam ad operandum bene: ergo magis etiam requiritur ad perseverandum in dilectione efficaci Dei, quam ad eliciendam huiusmodi dilectionem.

38 Tertia, & vltima conditio prædicti amoris est, quod sit super omnia. Per quod non significatur, quod debeat habere maximam intensiorem, sed quod sit appreciativus Dei super omnia, itaut rebus omnibus præferatur, maiorique in estimatione habeatur, quam cetera que amari, aut timeri possunt, & pro nullare ab eius amicitia recedatur, ex quo assert propositum efficax observandi omnia eius præcepta. Et iuxta hæc explanationes clarè constat, in qualibet ex his conditionibus alias includi.

39 Præmittendum est quarto, hunc amorem



rem absolutum, efficacem, & super omnia vltimus posse dividi in perfectum, & imperfectum. Imperfectus est ille, qui parum durat ratione subiecti, quod infirmum, debile, aut defectibile est; & propterea quamvis includat propositum, quantum est ex se, omnino absolutum Deo in omnibus placendi; & nihil admittendi voluntati illius contrarium per totam vitam; nequit tamen, attentata defectibilitate subiecti, & precipue rebellione partis inferioris, durare per longum tempus, maxime si occurrat gravis tentatio retrahens illud ab efficientia, & continuatione illius actus. Perfectus est ille, qui longo tempore durat, & forte per totam vitam. Dubium autem non procedit de hoc vltimo actu, quia hic petit controversiam specialem, sed de primo.

40 Premittendum est vltimo, potentiam ad dilectionem naturalem Dei esse duplicem: aliam consequentem, quæ dicitur talis, quia non solum habet sufficientes vires ad illam eliciendam, sed etiam caret omni impedimento intrinseco ad illius executionem: aliam præcise antecedentem, quæ licet habeat ex se vires sufficientes ad prædictam dilectionem, potest tamen impediri ab aliquo obice accidentali, ne prorumpat in actum. Quæ divisio coincidit cum alia, quæ vtuntur frequenter plures Auctores, videlicet in potentiam physicam, & moralem: nam ea, quæ nullum impedimentum habet, est moralis; & quæ illud habet, est tantum physica. Et de homine quoad vtramque potentiam, & in vtroque statu procedit controversia. Circa quam:

Multiplex versatur sententia. Alij enim dicunt, hominem in vtroque statu nulla indigere gratia speciali adhuc intra ordinem naturalem ad eliciendum amorem naturalem Dei super omnia, habereque non solum potentiam physicam, sed etiam moralem & consequentem ad illius elicientiam. Sic cum omni hac extensione Scotus in 1. dist. 17. quæst. 1. Gabriel in 3. dist. 27. art. 3. dub. 3. Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 4. Lorca disp. 5. Granad. tract. 1. disp. 3. sect. 3. ¶ Alij ex opposito docent, carere in vtroque statu non solum potentia consequenti, sed etiam antecedenti ad prædictum actum, proindeque egere speciali gratia saltem intra ordinem naturæ ad eius elicientiam. Ita Illust. Godoy disp. 42. Gonet disp. 1. art. 4. Ferre quæst. 1. §. 3. & quæst. 4. §. 2. & plures alij, tam intra, quam extra Scholam D. Thom. ab his relati. ¶ Alij via media incedunt, asserentes hominem in statu naturæ lapsæ egere auxilio speciali gratiæ, secus verò in statu naturæ puræ. Pro qua referuntur Abul. Montes, disp. 27. quæst. 6. Alvarez lib. 5. respons. cap. 5. & 6. Martinez in præf. dub. 1. & 2. ¶ Tandem alij defendunt cum prima sententia, in vtroque statu habere potentiam physicam & antecedentem

ad prædictum actum, & in statu naturæ puræ etiam consequentem seu moralem, sed in statu naturæ lapsæ non habere potentiam consequentem, & propterea indigere speciali gratia ad tollendum obicem. Ita NN. Salm. in præf. disp. 2. dub. 3. & 4. Quorum sententiam amplectimur, & sequentibus assertionibus ampliamus.

## §. II.

## Prima assertio pro statu naturæ puræ.

41 **D**icendum est primò, hominem in statu naturæ puræ posse potentiam consequenti, absque aliquo gratiæ specialis auxilio, diligere Deum finem naturalem super omnia. Hac conclusio est conformior doctrinæ D. Thom. in præf. art. 3. vbi inquit: *Utrum homo possit diligere Deum super omnia, ex solis naturalibus sine gratia?* vbi in argument. *Sed contra* sic arguit: *Primus homo in solis naturalibus constitutus fuit (vt à quibusdam ponitur) in quo statu manifestum est, quòd aliquando Deum dilexit; sed non dilexit Deum equaliter sibi, vel minus se quia secundum hoc peccaret: ergo dilexit Deum supra se: ergo homo ex solis naturalibus Deum potest diligere plusquam se, & super omnia.*

Huic testimonio respondet primò Godoy loco supra relato num. 20. permittendo, quòd homo ex vi huius testimonij per facultatem suam naturalem posset in natura pura Deum super omnia diligere. Sed ex eo (inquit) non potest desumi argumentum auctoritatis infallibilis, quia non conformatur cum littera articuli, vt scilicet accidit in suis argumentis. *Sed contra.* ¶ Respondet secundò, illos, qui ponebant primum hominem in puris naturalibus (quorum meminit D. Thom. in prædicto argument. *Sed contra*) non excludere integritatem naturæ, sed tantum gratiam habitualem, in quorum sententia hæc non constituebat iustitiam originalem: & ita argument. prædictum D. Thom. procedit de homine in iustitia originali, seu in integritate naturali constituto.

Tertiò respondet Ferre loco primò supra relato num. 43. D. Thom. non probare in eo argumento amorem perfectum Dei super omnia; hunc autem probare in corpore art. vbi tantum loquitur de homine integro. Ad hoc movetur ex eo, quia in hoc art. agit de amore perfectò; at in argum. *Sed contra*, vbi tantum loquitur de natura pura, de imperfecto. Incipit enim ab imperfectioribus, probando tantum amorem Dei super omnia vtrumque; sed in corp. art. probat amorem perfectum, vt ex eius ratione potest aperte colligi: Siquidem non ex quocumque modo diligendi Deum probat, hominem Deum diligere plusquam se, sed ex eo quòd

quòd in natura integra referebat dilectionem sui in amorem Dei sicut in finem, & similiter dilectionem omnium aliarum rerum: quæ sunt propria amoris perfecti Dei super omnia.

Sed nulla ex his evasionibus est ad mentem D. Thom. vt ipsum profundè legenti constabit. Non prima: nam ex eo probat D. Th. in corp. art. quòd homo in integritate naturæ diligit Deum amore perfectò, quia est connaturale non solum homini, sed naturæ irrationali, & inanimatæ diligere bonum partis propter bonum totius, & bonum particulare propter bonum vniuersale, quam doctrinam prosequitur in solutione argumentorum maxime ad secundum; sed hoc argumentum non est efficax, si creatura rationalis, in solis naturalibus sibi debitis relicta, a more perfectum Dei finis naturalis non potest elicere: quia hæc non minus efficaciter propendit in suum finem naturalem, & bonum vniuersale, qui est Deus, quam quilibet creatura irrationalis, & inanimata in bonum totius: ergo doctrina Div. Thom. tam in argument. quam in corp. art. est vna, & eadem. ¶ Per quod secunda evasio manet impugnata: Nam D. Thom. ita loquitur de homine in integritate naturæ, quòd non recurat ad specialia dona prædicti status, sed tantum ad vires sibi debitas & connaturales, sicut ad eas tantum recurit pro creatura irrationali, & inanimata: ergo occasione naturæ integræ etiam probat hominem in puris naturalibus absque vilo dono gratuito posse elicere amorem Dei super omnia.

Tertia evasio caret prorsus omni fundamento: tum ob proximè dicta. Tum & precipue, quia in argument. *Sed contra* infert Div. Thom. amorem Dei super omnia elici ex solis naturalibus; sed amor Dei super omnia, si verè est talis, claudit in se relationem aliarum rerum in ipsum; cum sit appetitivus, & per omnia efficaciter virtualiter: ergo infert amorem perfectum.

42 Deindè primò ratione probatur ex D. Thom. in præf. 1. part. quæst. 60. art. 5. ad 5. & quodlib. 1. art. 8. alijque in locis, reducta ad hanc formam: Nam quæcumque res cum solo concursu generali potest promovere in operationem sibi connaturalem & proportionatam, dummodò non habeat aliquod impedimentum; atqui dilectio Dei naturalis super omnia est connaturalis & proportionata homini condito in natura pura, & in ea nullum habet impedimentum impossibilem reddens prædictum actum: ergo homo in natura pura habet ex se independentem ab auxilio gratiæ potentiam sufficientem, & expeditam ad dilectionem Dei naturalem super omnia. Maior est certa apud omnes. Et minor quoad primam partem probatur: tum quia operatio, quæ est conformis inclinationi naturali alicuius rei, est illi con-

naturalis & proportionata; sed hæc dilectio est conformis inclinationi naturali, quia omnis creatura magis inclinatur in bonum commune & vniuersale, quam in seipsam: ergo etiam est proportionata & connaturalis homini condito in natura pura. Tum etiam: nam nemo negat, quòd prædicta operatio, sublatò omni impedimento, est totaliter proportionata virtuti intrinsecæ naturæ: & ita omnes concedunt, quòd anima separata, si in prædicto statu conderetur, & esset absque vilo peccato gravi, quod providentiæ adhuc naturali non repugnat, posset expedite prædictam operationem elicere: item concedunt homini condito in statu naturæ integræ non superaddi virtutem aliquam intrinsecam præstantem vires ex parte actus primi ad elicientiam prædictæ operationis: ergo ex se est proportionata & connaturalis virtuti connaturali naturæ humane secundum se consideratæ.

Quoad secundam partem, in qua præcipue est difficultas, etiam ostenditur: Nam si aliquod impedimentum esset, vel foret peccatum, vel coniunctio partis superioris cum appetitu sensitivo illi bellum ingere, & contra illam rebellante; sed impedimentum ex peccato ibi non adesset, vt supponitur, nec coniunctio partis superioris cum appetitu sensitivo esset satis ad impediendum semper prædictam operationem: ergo nullum esset impedimentum illam reddens insuperabilem à viribus proprijs ipsius naturæ puræ. Minor probatur: tum quia appetitus sensitivus non semper & in omni instanti pugnat cum ratione, nec semper insurgunt vehementes passiones, & tentationes perturbantes illam. Tum etiam: quia habitualis dispositio appetitus in illo statu non semper impediret, sicut non impedit; aliàs homo semper operaretur ex illa, & semper peccaret; quod est falsum iuxta dicta dub. præc. ergo pugna appetitus cum ratione non esset pro semper impedimentum sufficiens ad eliciendam prædictam operationem.

43 Huic rationi nescio, quid respondere valeant aduersarij, nisi quòd nunquam desistit pugna appetitus contra rationem; & aliunde prædictus actus est difficilissimus inter omnes alios bonos morales, vt potè continens in virtute propositum efficacem adimplendi omnia præcepta, & ex vtroque simul capite homo in natura pura non posset potentia consequenti elicere illum sine aliqua gratia speciali intra ordinem naturæ.

Sed hæc solutio non satisfacit. Siquidem pugna continua appetitus contra rationem non est semper adeo ardua, vt superet vires naturæ puræ; sed nec dilectio naturalis Dei super omnia, præscindendo à diuturnitate, illas superaret: ergo quòd detur iugiter aliqua pugna appetitus cum ratione, & prædicta dilectio sit difficilis, non impedit, vt homo in natura pura non possit